

Lit. Rom. A  
2278



63 Poët. Sct. H. 170.<sup>b</sup>





CENTVM  
AENIGMATA  
VETERA

DIV  
SVB SYMPOSII POETAE NOMINE  
CIRCVMLATA  
DEINDE A NONNVLIS  
TANQVAM  
SYMPOSIVM  
A LACTANTIO CONSCRIPTVM  
EDITA.




Recensuit, illustravit atque praefatus est  
**M. IOAN. FRIDER. HEYNATZ**  
Lycei Francofurtani Rector adiunctus.



FRANCOFVRTI ad Viadrum,  
Impensis CAROLI THEOPHILI STRAVSII.  
M D C C L X X V.





## P R A E F A T I O.

**J**diderat *Joachimus Perionius*, monachus Benedictinus, anno 1533 Parisiis *Symphosii*, veteris poetæ, *aenigmata* in forma octaua; quam editionem ibidem in eadem forma 1537 repetiverunt. Inseruerat deinde vir magnus, *Joachimus Camerarius*, elementis rhetoriciis, quae primum prodierunt anno 1540 \*), septemdecim eorundem *aenigmatum*, sed ex alio codice a Perioniana lectione multum discrepante descriptorum \*\*), quorum

A 2 aucto-

\*) Exstare saltim scimus *aenigmatia* illa in editione tertia anni 1600; sed primam quoque illa habere, efficitur ex eo, quod de *Lorichio* statim subiungam.

\*\*) Ex septemdecim *aenigmatibus* a *Camerario* vulgatis repetit tredecim in *libri tribus aenigmatum* (1545) *Ioannes Lorichius*, sed presso *Camerarii* nomine.

auctorem *Symphorium* vocauit. Successerat *Josephus Castalio* \*), cuius prima editio *Symposii Romae anno 1581. 4. prodiit* \*\*). Secuta est altera editio anno 1597 in 12. Vtrobique satis frequentes notae adiectae sunt. Repetita ea est Duaci 1604. 8. et Romae 1607. 12. \*\*\*). Tertius editor fuit *Petrus Pithoeus*, qui dedit anno 1590 *epigrammata et poemata vetera* Paris. 12, recusa Lugduni \*\*\*\*) a. 1596. Exstant ibi et inter epigrammata quaedam nomine *Caelii Firmiani Syphorosii inscripta* et deinde  
*Coelii*

\*) Hunc tertium editorem facit *Heumannus* praemisso *Pithoeo*; sed obstat ab ipso tradita annorum ratio. Notat hoc quoque *Bibliophilus* deinceps citandus.

\*\*) Vid. *Heumannus* p. XLIX. et *Irenaei Bibliophili* (h. e. *Iac. Frid. Beyschlagii*) obseruatio ad *Heumanni* praefationem apud *Schelhornium* Amoenit. Litt. Tom. II. p. 484 sqq.

\*\*\*) Vid. *Heumanni Poecile* Tom. II. p. 109 sqq.

\*\*\*\*) *Heumannus* falso Geneuae recusa refert; bibliopola quidam Genevensis Lugduni recudenda curauit. cf. *Poecil.* Tom. II. p. 122.

*Coelii Firmiani Symposii* \*) *aenigmata centum.* Hae sunt tres Symposii editiones ex MSS. deriuatae. *Perionii* editionem repetiit *Reusnerus* in *Aenigmatographia*. Ceterae vsque ad Heumannianam secutae sunt *Castalioneam*, nempe *Rittershusiana* Lugduni 1598. 8. et (curante *Meursio*) ex officina Plantiniana Raphelengii 1610. 8., *Nicolai Causini* in *Symbolica Aegyptiorum sapientia aliquoties excusa*, *Chr. Junkeri* cum *Phaedro* 1700. 12. et *I. G. Walchii* itidem cum *Phaedro* 1713. 12. Vnam tamen adhuc ceteris incognitam describit *Fabri- cius* \*\*), editam a *Francisco Basuelo*, Bas. 1563. 8., sed XLVII tantum aenigmata continentem.

Anno 1722 Hanouerae 8. edidit vir  
tum iam celeberrimus, *Christophorus Au-*  
A 3 gustus

\*) Vides variam nominis poetae nostri scripturam, *Sympfius*, *Symphorius*, *Symphorofius*, *Symposius*, vt iam de praenominibus taceam. In poetica maiori Giesensi p. 32. vocatur *Sympfius*, a Sigerberto Gemblacensi in libro *de scriptoribus ecclesiasticis* cap. 132. *Symphorofius*.

\*\*) Bibl. lat. T. III. p. 255.

*gustus Heumannus*, centum aenigmata illa,  
 quae adhuc Symposio poetae tributa erant,  
 titulo *Symposii Lactantiani* \*) insignita.  
 Persuasum enim sibi habebat vir eruditissi-  
 mus omisso Lactantii veri auctoris nomine  
 librarios

\*) En integrum tibi titulum: L. Caecilii Fir-  
 miani Lactantii *Symposium* siue *centum epi-*  
*grammata* tristicha aenigmatica, quae ve-  
 ro suo auctori post longissimi temporis de-  
 cursum reddidit, a librariorum mendis ope  
 Codd. MSS. repurgauit, suisque, *Ios.*  
*Castalionis*, *Casp. Barthii*, *Frid. Besselii*  
 aliorumque notis illustravit *C. A. Heuman-*  
*nus*. Ob notarum amplitudinem adiecta-  
 que quaedam allotria liber creuit in vigin-  
 ti duas fere plagulas. Singularis fuit er-  
 ror viri summe venerandi *I. P. Milleri*, qui  
 in Chrestomathiae Latinae editione prima  
 scripsit, Catonis disticha de moribus ab  
 Heumanno esse Lactantio tributa. Lege-  
 rat fortasse vir doctissimus, a Theophilo  
 Cortio Dionysio illi Catoni inter Latino-  
 rum poetarum nomina locum denegari  
 (coniiciebat Cortius verum libri titulum  
 fuisse: *Dionysi Cato siue de moribus*,) et  
 cum *Symposium* quoque ex eodem col-  
 legio relegatum recordaretur, vtrunque  
 confuderat.

P R A E F A T I O . ?

librarios titulum operis pro poetae nomine accepisse, ut adeo Symposium factum esset Symposium. Opinionem hanc plane nouam his fere argumentis fulcire adnitus est. Primo *Hieronymus* Cap. LXXX. Catalogi scriptorum ecclesiasticorum retulit, exstisset suo tempore Lactantii Symposium, quod adolescentulus scripsisset; auctor autem Symposium diserte prae se fert, adolescentem se haec scripsisse. Secundo nullum vñquam virum nomen Symposium gessisse adfirmabat *Heumannus*. Tertio praeponuntur in Pithoei codice Symposium duo praenomina *Coelius Firmianus*; Lactantius autem a multis *Lucius Coelius Firmianus Lactantius* vocatur, quamquam ab aliis rectius pro *Coelio* substituatur *Caecilius*. Denique aenigmata ipsa scripta sunt stilo auctore seculi quarti haud indigno. Quae argumenta quia illis, quibus *Baluzius Lactantio* librum de mortibus persecutorum vindicauerat, numero praestabant, totus vero orbis sententiae *Baluzii* accesserat, non dubitauit *Heumannus*, quin et suae fautores subscriptoresque non defuturi essent.

A 4

Quam

Quam spem non admodum eum fellisse, non est, quod dissimulemus. Sane non solum nunquam, quod sciām, inde ex eo tempore aenigmata illa sub poetae Symposii nomine edita sunt, sed plerique historiae ecclesiasticae enarratores inter scripta Lactantiana hoc etiam ab *Heumanno* rursus inuentum Symposium retulerunt \*). Neque tamen non inuenti sunt, qui opinionem illam reiicerent aut oppugnarent. Inter hos primus debetur locus magno *Ioanni Alberto Fabricio*, qui, postquam id iam ante \*\*) minatus erat, strenue contra iuit \*\*\*) , nec paucos nactus est

\*) Exstat *Symposium Lactantii* inter eius opera in editionibus Heumanniana, Bune-manniana et Halensi, neglectum in no-vissima Langleti du Fresnoy, qui Bunemannianam non nouerat.

\*\*) Bibl. Graec. lib. V. cap. 45. p. 539.

\*\*\*) Vid. Tom. III. *Biblioth. Lat.* p. 273. (in noua illa Ernesti editione T. III. p. 253 sq.), *Syllab. scriptorum, qui veritatem religionis Christianae afferuerunt* p. 239, *Biblioth. medii aevi* Tom. IV. p. 693. Addatur *Heumannii Poecilos* Tom. I, p. 255 sqq.  
III.

est sibi adsentientes \*). *Theophilus* quoque *Sigfridus Bayerus* et ante et post in eamdem consensit sententiam \*\*). Adde, quod ipse *Gesnerus*, qui *Heumanno* adstipulatus esse videbatur \*\*\*), qui adeo in eius gratiam prooemii initium ita emendauerat:

*Hoc quoque Symposium de carmine lusus  
inepto:*

A 5                    in

III, 215 sqq. et Praef. ad Lactant. et vltimus Tomus bibl. med. aeui a *Schötgenio* post fata *Fabricii* additus, vbi *Heumannii* opinio probatur.

\*) Pertinent huc *Colerus* in *Biblioth. theol. selecta* Tom. II. p. 42, et ab eo excitati auctores diarii Gallici *la Bibliotheque Germanique* inscripti Tom. VI, p. 64, quibus tamen antea (Tom. II.) *Heumannii* opinio maxime probata erat.

\*\*) Vid. epistolam eius in *Nouis litterariis Lipsiensibus* anno 1720, p. 155 sq. alteramque in Norimbergensi *Sylloge noua epistolarum* Lib. I. p. 25 sqq. vbi p. 27. queritur, quod Lipsienses priorem illam non exhibuerint integrum.

\*\*\*) Vid. *Heumannii* praefat. p. XXI. et *Thesaur. epistolic. Gesnerian.* Vol. I. p. 33.

in Thesauro linguae Latinae \*) numquam sub Lactantii, semper sub Symposii nomine aenigmata illa citauerit.

Quamuis autem non negandum sit, opinionem hanc beati *Heumanni* specie quadam veri natuique commendari \*\*), tamen vix credo queinquam eius defensionem in se suscepturnum, qui, quam firma sint, quibus superstruitur, argumenta, satis considerauerit.

Quod enim Hieronymus scribit, *Lactantium iuuenem adhuc edidisse Symposium*, quo modo euincere potest, esse hoc ipsum Symposium, cum ipso perhibente *Heumanno* satis frequens sit auctoribus Symposii adpellatio, iuniores autem tale quid, ut iucundum et ad delectationem com-

\*) Euolue voces *caligaris*, *de*, *graphium* et *strigilis*, adde quoque quae voc. *Symposium* dicuntur.

\*\*) Agnouit hoc praeter auctores *Bibliothecae Germanicae* supra excitatos (Tom. VI. ubi iam *Fabricio* acceſſerant) S. V. *Ernesti* in nota *Fabricio* subiecta *Bibl. Lat.* Tom. III. p. 254.

compositum, facilius scribant, quam senes? Si relatum legamus Melanchthonem sub vitae exitum librum conscripsisse *de contemptu mundi*, inueniatur autem deinde liber *ad apostolos* eo titulo insignitus, cuius auctor senem morti vicinum se fuisse testatus sit, quis, quaeſo, statim Melanchtoni foetum istum adiudicandum censeat? Porro cum nemo vñquam aenigmatum collectionem *Symposii* adpellatione insignitam ediderit, num cuiquam credibile fit, Hieronymum solam istam libri Lactantiani adpellationem positurum fuisse, non adiecta vlla argumenti mentione? Nullus enim eorum librorum, qui vñquam ita inscripti sunt \*), aenigmata continet.

Symposii nomen non adeo inusitatum fuisse, ac *Heumann* visum erat, productis duobus ex seculo quarto exemplis monstrauit *Fabricius* \*\*).

Maxi-

\*) Vid. *Heumann*. praefat. p. XII.

\*\*) Bibl. Lat. Tom. III. p. 253. Ernest. ed.  
vbi autem non bene omissa sunt illa, quae  
in

Maximum sine dubio opinionis nouae monumentum est in praenominum *Coelii* et *Firmiani* adiectione, quam in codice Pithoei inuenimus factam. Sed cum reliqui codices, qui praenomen addunt, *Coelium* tantum retineant, facile fieri potuit, - ut librarius aliquis indoctus, qui *Coelii* et *Firmiani* praenomen in appellando Lactantio coniungi recordaretur, cum *Coelium* legeret, de suo *Firmianum* adderet, quasi opus esset, ut quisque *Coelii* praenomine usus *Firmianus* insuper quoque vocaretur.

De stilo horum aenigmatum Lactantium non dedecorante res est altioris indaginis, et vix verisimile quid extricari posse puto. Quis enim nouit, quo stilo Christianorum in prorsa oratione Cicero usus

in indice Tomi tertii. Ipse *Heumannus*, Poecil. T. I. p. 257 confessus est, errasse se, cum inauditum Symposii nomen inter viros crederet; sed eo faciliorem lapsum fuisse addit. Adde bibl. med. aeu. T. IV. p. 693.

vsus sit, cum iuuenis adhuc ad versus pangendos se accingeret? Nemo tamen erit, credo, qui seculo quoque sexto aut septimo tales versus, quales hic proferuntur, neget procudi potuisse. Ipsi *Heumanno* in excusandis quibusdam naeuis nunc ad iuvenilem auctoris aetatem, nunc ad Africisum quemdam, quem in iuuenili hac opera olfecisse videbatur, confugiendum erat. Praecipue lapsus quidam prosodi ci \*) nescio an vlli nisi seniori aetati imputari queant, vbi iam vetus pronuntiatio ruere coepisset, nec de syllabarum quantitate aequa certo, ac antiquis temporibus, constaret.

Quod addit postremo de *Baluzii* sententia totius orbis fauorem atque ad sensum experta, primum cuique iudicatur est, opus *de mortibus persecutorum* non posse profectum esse, nisi a scriptore christiano. Inter scriptores Christianos vero nemo se obtulit, cui tribui posset praeter Lactan-

\*) Vide aenigm. XVI et XVIII. Confer not. crit. ad proem. v. 12.

Lactantium, qui non solum teste *Hieronymo* talem librum ediderat, sed cum cuius stilo prosaico eius libri dictio quoque quam maxime conueniebat. Facile igitur patet, utriusque scripti non eamdem esse rationem, et si de alterius certo fere constet auctore, de alterius origine multas remanere dubitationes.

Quidquid autem tandem de libro isto statuendum sit, nequiui satis mirari, cur tam parvum cognitus esse soleat illis, qui puerilem aetatem acceperunt instituendam. Pueris puerilia placent, eorumque ingenium maxime illis rebus ducitur atque oblectatur, quae iocosi quid aut adeo ludicri promittunt. Consultum igitur duxi, nouam istorum aenigmatum editionem curare, quae siue *Symposii ignoti poetae lusum*, siue incerti auctoris symposium adpellaueris, siue cum *Heumanno Lactantio* tribueris, me non admodum contradicentem habebis. Satis mihi erit, si iusti talium rerum arbitri non in cassum operam paucorum dierum nugis his, si placet,


placet, insumsisse me iudicauerint. Heumanniana copia ita vsus sum, vt ex illustrationibus ea, quae ad rem meam facere videbantur, feligerein, adderemque nonnulla, quae suppetebant aut animo succurrebant, verborum autem contextum, in quo constituendo et nimia cum audacia et plerumque non satis feliciter \*) *Heumannus* versatus erat, diligenter denuo recenserem. Natae sunt hac occasione obseruationes nonnullae criticae, quas ad finem aenigmatum reiiciendas censui. Si in praelegendendo libello bonus doctor accesserit, non dubito, quin ad tirones inde non spernendus fructus redundaturus sit, nec ea cogitatione angor, fore vt gustus, quem dicunt, aut adeo Latinitas puerorum naeui quid ex ista lectione trahat. Impediet hoc praceptoris cura, qui, quidquid aeruginis ex ea forte hæfit, meliorum scriptorum insecura lectio ne facile absterget, laetus ceteroquin, quod

\*) Vide notam *Gesneri* epistolæ cuidam ab *Heumanno* datae subiectam in thes. epist. *Gesneriano*.

quod datum fit, discipulos non inuitos  
vocum satis larga copia et praeterea non  
poenitenda rerum variarum notitia imper-  
tiri. Dabam Traiecti ad Viadrum d. xviii  
Aug. ccccclxxv.



CENTVM



C E N T V M  
AENIGMATA VETERA  
DIV S V B  
SYMPOSII POETAE NOMINE  
CIRCVMPLATA etc.

---

P R O O E M I V M.

[**H**aec quoque *Symposium de carmine lu-*  
*fit inepto;*  
*Sic tu, Sexte, doces, sic te deliro*  
*magistro.]*

*Annua Saturni dum tempora festa redirent,*  
*Perpetuo semper nobis sollemnia ludo,*  
*Post epulas laetas, post pocula dulcia mensae,*  
*Deliras inter vetulas puerosque loquaces,*  
*Dum streperet late madidae facundia linguae:*  
*Tum verbosa cohors studio sermonis inepti*  
*Nescio quas passim magno de nomine nugas*  
*Est meditata diu, sed friuola multa locuta est.*  
*Nec mediocre fuit magni certaminis instar,*

B                   Ponere

18 CENTVM AENIGMATA VETERA.

*Ponere diuersa, vel soluere quaque vicissim.  
Ast ego ne solus foede tacuisse viderer,  
Qui nihil attuleram mecum, quod dicere possem,  
Hos versus feci subito de carmine vocis.  
Insanos inter sanum non esse necesse est.  
Da veniam, lector, quod non sapit ebria musa.*

*Haec, quae sequuntur, quoque, post alia  
scripta, lusit, iocans composuit, *Symposius*  
*carmine* ineptiente (*de redundat*); sic faciendum  
esse tu, amicissime *Sexte*, doces me, sic ergo  
praecepta tua sequens *deliro* et nugas ago.  
*Dum Saturnalia*, dies festi in memoriam aeta-  
tis aureae sub Saturno rege actae instituti, ubi  
quiuis hilarem se praebet, conuiuia celebrat cet.  
*perpetuo ludo nobis semper celebrari solita, redirent* (*pro redibant*), et *dum exactis epulis laetis* et in summa hilaritate, quam *dulcia mensae pocula* excitauerant, *facundia atque loquentia madidae*, ebriae, *linguae inter vetulas* prae vi-  
no et gaudio paene furentes et *pueros*, quos con-  
viuum *loquaces* fecerat, ita *streperet* (*strepebat*),  
ut longe *lateque* exaudiri posset: *tum cohors*  
haec atque turba hominum, qui verbis abunda-  
bant multumque garriebant, *passim* nunc hoc  
nunc illo modo, et *diu*, quod *sermones ineptos*  
proferre desiderabat, *meditata est* et tentauit *ne- scio quas nugas*, quasi res *magno de nomine*  
(magni nominis) essent; *sed* parum processit,  
quod tentauerant, et *friuola*, absurdia, *multa locuti**

*locuti sunt.* Nec fuit mediocre *instar*, medio-  
cris imago, *magni* alicuius *certaminis* in isto  
ludo et ista aemulatione, non absimile erat ma-  
gno certamini studium illud, quo quisque *di-  
versa* \*), varia aenigmata, aliis soluenda pro-  
poneret, aut quaecumque ab aliis proposita es-  
sent, ipse *viciſſim* (Gallice *à son tour*) *solvere*  
studeret. Ne autem *ego solus*, qui nihil quae-  
ſtionum aenigmaticarum *mecum attuleram*, quae  
*dicere*, proponere, possem, *ne solus*, inquam,  
*viderer* et culparer, *foede*, turpiter et cum in-  
famia, tacuisse, hos, qui sequuntur, *versus*  
aenigmaticos feci, *de carmine ſubito* (*de iterum*  
*redundat*) *vocis*, extemporali opera statim, quae  
cogitassem, ore proloquens. Quod solus *inter*  
*infanos sanus eſſe* noluerim, nemo reprehendet;  
hoc enim minime *nec eſſe eſt*. Ignosce ergo et  
*veniam da*, *lector*, *quod musa vino inebriata*  
*non sapit*, meliora non dat.

## AENIGMA I.

## GRAPHIVM ſive STILVS.

*De summo planus, ſed non ego planus in imo;*  
*Versor utrumque manu, diuersa et munera fungor;*  
*Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.*

*Stilus*, quo veteres in cera ſcribebant, ab  
ima parte *acutus* erat, ſed a ſuperna planus ſiue  
latus. *Manu versatur*, vertitur (eſt hoc loco  
B 2 passuum)

\* ) De quantitate vocis cf. notas criticas.

## 20 CENTVM AENIGMATA VETERA.

passuum verbi actiui non infrequentis *verso*), *utrimque*, nunc ab hac nunc ab illa parte, et *diuersa munera* (pro *diuersis muneribus*; sed *fungor* saepe inuenitur cum accusatiuo) *fungitur*. Alterum munus est scribendi, alterum delendi. *Quidquid enim pars altera acuta fecit seu scripsit, reuocatur seu deletur, si ita scribenti visum est, ab altera, nempe plana atque lata.* Horatii praeceptum celebratur Lib. I. Sat. 10, v. 72. *Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint, scripturus.* *Stylus* minus recte a quibusdam scribi ex institutionibus orthographicis notum esse potest.

## II. ARVND O.

*Dulcis amica Dei, ripae vicina profunda,*  
*Suaue canens musis, nigro perfusa colore,*  
*Nuncia sum linguae digitis signata magistris.*

*Arundo* est *dulcis amica Dei* Panos; cum ille Nympham Syringa persequeretur, fluuii Arcadiae Ladonis filiam; illa in arundinem versa est, Pan autem, calamis arundinis inter se iunctis inuenit fistulam, quae inde Syrinx quoque audit \*). *Ripae*, orae fluuii (*litus* est ora maris), *vicina* est, praecipue autem gigni solet, ubi *ripa profunda* est. *Canit carmina, quae suauia*

\* ) cf. Ouid. Metamorph. I, 690 sqq. et elegantiissimi Vzii oden ultimam libri secundi.

*sua*ia sunt et placent *Musis*. *Nigro colore*, atramento, *perfunditur* seu impletur. Calamo arundinis pro penna vtebantur veteres. Denique cum *magistris digitis*, digitorum iussu seu per digitos, in charta *signata*, chartae admota et impressa est, *nuncia* fit eorum, quae *lingua* prolocuta est.

## III. ANNVLVS CVM GEMMA.

*Corporis extremi non magnum corpus adhaesi.*  
*Ingenitum dicas; ita pondere nemo grauatur.*  
*Vna tamen facies plures habitura figuras.*

*Annulus* adhaeret homini tamquam minimum *corpus*, scilicet additamentum minimae magnitudinis, *digitus*, qui est extremitas corporis scilicet *extremum corpus*; adeo quidem firmiter, ut putare aut *dicere* possis, esse eum partem corporis vna cum ipso *genitam*; corpus autem annuli *pondere non grauatur*, ideoque eum pro parte quadam sui habere videtur. Denique est *vna facies*; sed haec vna facies plures ex se emitit *figuras*, *imagines expressas* seu *ectypa* (Abdrücke). Castalio intelligit de annuli *gemina*, quae instar speculi rerum *imagines* admittit, quae *explicatio* minus placet.

22 CENTVM AENIGMATA VETERA.

IV. CLAVIS.

*Virtutes magnas de viribus adfero paruis.  
Pando domos clausas; iterum recludo patentes.  
Seruo domum domino; sed rursus seruor ab ipso.*

*De viribus paruis, quamvis paruae mihi  
vires sint, adfero tamen virtutes magnas, com-  
moda magna. Domos aperio et claudio cet.*

V. CATENA.

*Nexa ligor ferro multos habitura ligatos.  
Vincior ipsa prius; sed vincio vincita vicissim.  
Et solui multos, nec sum tamen ipsa soluta.*

*Nec unt catenam fabri et ligant e ferro; pa-  
ratur autem, vt multos habeat, teneat, ligatos.  
Postquam vincita est, ipsa vicissim, rursus (à son-  
tour), vincit. Multos soluit, liberauit a vin-  
culis, ipsa tamen ab illis non soluta est.*

VI. TEGVLA.

*Terra mihi corpus, vires mihi praefitit ignis,  
Estque domus teſto ſedes mihi ſemper in alto,  
Et me perfundit, qui me cito deferit, humor.*

*Praefitit, dedit. Domus est genitius.  
Humor, aqua, pluia, perfundit, opplet, te-  
gulam; sed cito rursus eam deferit, defluens  
nempe.*

VII. FV-

VII. FVMVS.

*Sunt mihi, sunt lacrimae, sed non est caussa doloris.  
Est iter ad caelum, sed me grauis impedit aëris,  
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.*

*Sunt mihi, sunt lacrimae, habeo, habeo in  
me lacrimas, h. e. vim eas eliciendi, fumus  
enim facit, vt humor ex oculis effluat; sed non  
habeo aliquid, quod caussa dolendi dici possit.  
Recta tendit fumus ad caelum, sed quo minus  
eo peruenire possit, impedit aëris. Ignis genuit  
fumum; sed ipse ignis non nascitur, nisi pree-  
gresso fumo.*

VIII. NEBULA.

*Nox ego sum facie, sed non sum nigra colore:  
Inque diem medium tenebras tamen adfero tecum:  
Nec mihi dant stellae lucem, nec Cynthia lumen.*

*Nox seu nocti similis est nebula facie, se-  
cundum externam speciem. In medium diei tem-  
pus secum ad fert caliginem; diem obscuram  
reddit. Stellae lucem habent infirmorem, Cyn-  
thia, Diana, luna, lumen clarius. Utrumque  
tamen nebulae caliginem non pellit.*

IX. PLUVIA.

*Ex alto venio, longa delapsa ruina.  
De caelo cecidi medias transmissa per auras:  
Et finus effundit, qui me simul recipit ipse.*

*Sinus terrae (h. e. terra ipsa) effundit plu-  
viam, emitte vapores, ex quibus pluua deinde*

B 4 fit;

## 24 CENTVM AENIGMATA VETERA.

fit; *ipse simul* ille sinus deinde eam, cum decidit, rursus *recipit*.

### X. GLACIES.

*Vnda fui quondam, quod me cito credo futuram:  
Nunc rigidi caeli duris connexa catenis,  
Nec calcata pati possum, nec nuda teneri.*

*Glacies fuit quondam aqua; in eamdem post tempus rursus mutatur. Rigidum, frigidum, caelum connectit aquam duris catenis, facit, ut ea congelet. Glacies non patitur, ut ab aliquo calcetur, sed frangitur. Potest tamen pati accipi passiue pro tolerari, ut apud Ciceronem ad diuers. (in epist. Lentuli) XII, 14, 9.*

### XI. FLVMEN ET PISCIS.

*Est domus in terris, clara quae voce resultat:  
Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes;  
Ambo tamen currunt, hospes simul et domus una.*

*Est domus] aliqua scilicet, non mea. in terris] in depressioribus terrae locis. Domus ista, i. e. aqua, clara voce ad aures resultat et sonum edit.*

### XII. NIX.

*Puluis aquae tenuis modico cum pondere lapsus,  
Sole madens, aestate fluens, in frigore siccus,  
Flumina facturus, totas prius occupo terras.*

Nix dici potest *puluis tenuis* ex aqua factus, qui *modico cum pondere* in terram *delapsus* est. *facturus]*

*facturus]* si facturus sum. Loquitur autem nix de se, tamquam de masculino, quia puluerem antea se vocauerat.

XIII. NAVIS.

*Longa feror velox formosae filia siluae,  
Innumera pariter comitum stipante caterua;  
Curro vias multas, vestigia nulla relinquens.*

*Nauis, longa filia siluae, velociter currit in vndis, et pariter, in eodem cursu, stipatur, circumdatur, ab innumeris aliis nauibus comitibus.*

XIV. PVLLVS IN OVO.

*Mira tibi referam nostrae primordia vitae.  
Nondum natus eram, nec eram tum matris in aluo;*

*Iam posito partu natum me nemo videbat.*

*Aluus pro vterus. nemo videbat, quia gallina recens natis pullis incubat.*

XV. VIPERA.

*Non possum nasci; si non occidero matrem.  
Occidi matrem; sed me manet exitus idem.  
Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.*

Viperae fabulose dicuntur ita *nasci*, ut per rosis matris lateribus in lucem erumpant. Quaevis igitur vipera, dum nascitur, *oecidit matrem*. Sed in morte sua idem patitur, quod in ipsa nascendi origine matri fecerat.

26 CENTVM AENIGMATA VETERA.

XVI. TINEA.

*Littera me pauit, nec quid sit littera, noui.  
In libris vixi, nec sum studiosior inde.  
Exedi musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.*

*nec sum studiosior inde*] nec tamen ideo literis magis studentem vocare me possum. Ut *studiosior* pro *doctior* accipiatur, nihil opus est. *Profeci* antepenultima breui auctoritate destitutur. Vid. poeticam Giessensem p. 32.

XVII. ARANEA.

*Pallas me docuit texendi nosse laborem.  
Nec pepli radios poscunt, nec licia telae.  
Nulla mihi manus est; pedibus tamen omnia fiunt.*

Arachne, puella quaedam Lydia, a Pallade seu Minerua *texendi* artem *edocta* erat; ipsa tamen negavit se Mineruae esse discipulam, quam ob rem irata Dea eam in Araneam conuertit. Aranea idem facit, quod Arachne fecerat; sed *pepli* seu *vestes*, quas conficit, non poscunt *radium* (das Weberschiff), quia texit sine radio, *nec* ceterae *telae* poscunt *licia* (Fäden), omnia enim *licia* ex sese protrahit.

XVIII. COCHLEA.

*Porto domum mecum, semper migrare parata,  
Mutatoque solo non sum miserabilis exsul,  
Sed mihi consilium de caelo nascitur ipso.*

*migrare*

*migrare parata] alias: ad migrandum parata.* Cochlea cum solum seu pristinam sedem cum alio terrae loco mutauit, non est miserabilis exsul, sed caelum ipsum illi consulit. Consilium nascitur accipio pro consulitur, es wird geforgt\*). *de caelo est caelitus*, vom Himmel herab.

## XIX. RANA.

*Rauca sonans ego sum media vocalis in vnda;*  
*Sed vox laude sonat, qua se quoque laudet et ipsa.*  
*Quumque canam semper, nullus mea carmina*  
*laudat.*

Rana, quae *rauca*, i. e. rauce, *sonare* folet, *media in vnda vocalis* est, vocem suam emittit, sed *vox eius tali laude sonat*, qua semetipsam quoque collaudet, et *cum*, quamvis, *semper canat*, tamen non efficere potest, ut *carmina sua* a quoquam laudentur.

## XX. TESTVDO.

*Tarda gradu lento, specioso praedita dorso,*  
*Docta quidem studio, sed saeuo prodita fato,*  
*Viua nihil dixi, quae sic modo mortua canto.*

*Tarda* incedit et *lento gradu* testudo, *praedita* est dorso ob curuitatem *specioso* et insigni. Nunc *quidem*, cum chelys facta est, *docta* dici potest

\*) Vide an magis placeat explicatio Sirmondi, quam ex Castalione adfert Heumannus Poecil. Tom. II. p. 117: consilium ex caeli facie capio, et domum me recipio, cum aetas suadet aut tempestas.

28 CENTVM AENIGMATA VETERA.

potes*t* studio; sed tam saeuo fato pro*di*ta seu in lucem edita est, vt sic tantummodo post mortem can*te*t, cum viua nihil dixerit aut sonauerit.

XXI. TALPA.

*Caeca mihi facies, atris obscura tenebris.*

*Nox est ipsa dies, nec sol mihi cernitur ullus.*

*Malo tegi terra; sic me quoque nemo videbit.*

*Nox est ipsa dies]* Eodem fere redit, vtrum ipsa cum nox coniungatur, an cum dies; prius tamen praestat.

XXII. FORMICA.

*Prouida sum vitae, duro non pigra labori,*

*Ipsa ferens humeris securae praemia brumae,*

*Nec gero magna simul, sed congeromulta vicissim.*

Formica est *prouida* earum rerum conservatrix, quae ad *vitam* sustentandam opus sunt; *nec pigra* est ad suscipiendum *durum laborem* \*). *Bruma* pro *hieme*. *Simul* et *vicissim* opponuntur; posterius ergo exponendum est *per vices, paullatim*.

XXIII. MVSCA.

*Improba sum, fateor; quid enim gula turpe veretur?*

*Frigora vitabam, quae nunc aestate reuertor;*

*Sed cito submoueor falso conterrata vento.*

*Gula*

\* ) Datius ponitur loco Accusatini cum praepositione *ad*. Sic apud Ciceronem in epistolis ad diuersos II, 1, 2, scribendo impiger, ubi Cortius docet scribendo accipiendum esse in Datuo.

*Gula est ingluies*, die Gefräsigkeit, *falsus ventus* est ille, qui flabello fit; hoc muscae  
terrentur et submouentur seu abiguntur.

XXIV. CVRCVLIO.

*Non bonus agricolis, non frugibus utilis hospes,*  
*Non magnus forma, non recto nomine dictus,*  
*Non gratus Cereri, non paruam sumo saginam.*

*Bonus hospes*, ein willkommener Gast.  
*Non recto nomine dictus est Curculio* die Korn-  
motte seu der Kornwurm; ipse enim breuis seu  
paruus est, nomen longum, vtpote tetrasylla-  
bum \*). *Ceres*, Dea frugum et frumenti; illi  
curculio *gratus esse* non potest.

XXV. MVS.

*Parua mihi domus est, sed ianua semper aperta.*  
*Exiguo sumtu furtiuia viuo sagina.*  
*Quod mihi nomen inest, Romae quoque consul*  
*habebat.*

*Inest pro est.* Inter consules Romanos erant  
duo, pater et filius, quibus nomen esset *Publius*  
*Decius Mus.*

XXVI. GRVS.

*Littera sum caeli penna perscripta volanti,*  
*Bella cruenta gerens volucri discrimine Martis,*  
*Nec vereor pugnas, dum non sit longior hostis.*

Grues

\* ) Castalio recto nomine dicendum *Gurgulionem*  
contendit, quia teste Seruio, animalculum hoc  
nil fere, nisi gutturi, sit; et idem hoc velle  
Symposium opinatur.

30 CENTVM AENIGMATA VETERA.

Grues cuin gregatim per aëra volarent veteribus formare videbantur figuram litterae Graecae Λ vel Υ. Grus vel gruum genus igitur est *littera in caelo prescripta penna* seu alis *volantis*, volucris seu ausi, i. e. auium, per Enallagen numeri. Gruum genus *bella cruenta* gessit cum Pygmaeis, breuis staturae nanis, quos existisse ut credamus postulat fabulosa antiquitas. Cum pugnatur *discrimen Martis* fieri dicitur; hoc discrimen *volucre* est, cum volucres pugnant. *longior*] intellige, *quam ego*, aut *quam ille hostis*, *quocum adhuc pugnaui*, h. e. Pygmaei. Posteriorius praestat, et sic iam explicauit Castalio.

XXVII. CORNIX.

*Viuo nouem vitas, si non me Graecia fallit,  
Atraque sum semper nullo compulsa dolore,  
Et non irascens ultiro conuicia dico.*

Si *Graeci* non mentiuntur, quod rarum tamen est, cornix *viuit nouem* hominum aetates, i. e. ducentos septuaginta annos. Quamvis illi nullius cognati mors *dolenda* vel *lugenda* sit, *atro* tamen vestitu induita semper incedit. Et si lingua eius cultello liberata est, et ab hominibus edocta verba proloqui didicit, *ultiro*, non lacepsita, et *non irascens*, *conuicia*, contumelias, dicit in praetereuntes, quod in nostris terris facere discunt psittaci.

XXVIII.

XXVIII. VESPERTILIO.

*Nox mihi dat nomen primo de tempore noctis;  
Pluma mihi non est, cum sit mihi penna volantis.  
Sed sedeo in tenebris, nec me committo diebus.*

Primum noctis tempus *vesperem* vocari notum est; a *vespere* dicitur *vespertilio*.

XXIX. ERICIVS.

*Plena domus spinis, parui sed corporis hospes,  
Incolumi dorso telis confixus acutis;  
Sustinet armatas segetes habitator inermis.*

Ericii pellis *domus* eius vocari potest. Haec *domus spicis plena* est, sed in ista domo habitat *hospes parui corporis*; si enim spinas sustuleris paruum est animal. Si *spinis* cum *telis acutis* comparare volueris, ericius ipsis telis *confixus* videtur, ita tamen, ut *dorsum* sit *incolume* et non vulneratum. Domus illius spinosae *habitator inermis* in tergo suo *sustinet* integras *armorum*, telorum et gladiorum, *segetes* seu campos.

XXX. PEDICVLI.

*Est noua notarum cunctis capture ferarum,  
Ut, si quid capias, id tu tibi ferre recuses,  
Et, quod non capias, tecum tamen ipse reportes.*

Datur *noua* quaedam capture *ferarum* animalium *cunctis* hominibus *notarum* cet. *tibi ferre*] tibi tamquam proprium ac priuum vindicare.

XXXI.

32 CENTVM AENIGMATA VETERA.

XXXI. PHOENIX.

*Vita mihi mors est; morior, si coepero nasci.  
Sed prius est fatum, laetae quam lucis origo.  
Sic solus Manes ipsos mihi dico parentes.*

Phoenix, ficta aus, cuius nomen veteres  
in utroque genere enunciant, credebatur ipse se  
comburere, postquam ad prouectiorem aetatis  
gradum peruenisset, ex cineribus autem eius  
surgere nouus Phoenix. *fatum*, mors; *lucis*,  
vitae. *Solus* inter omnia animalia *parentes* ha-  
bet *Manes*, i. e. mortem.

XXXII. TAVRVS.

*Moechus eram Regis, sed lignea membra sequebar;  
Et Cilicum mons sum, sed non hoc nomine solo;  
Et vehor in caelis, et in ipsis ambulo terris.*

Pasiphaë, vxor Minois, regis Cretæ, ama-  
vit taurum quemdam album, ob eumque *ligneae*  
vaccae a Daedalo facto se inclusit; sic taurus ille  
factus est *moechus regis*, h. e. vxoris eius cor-  
ruptor, cf. Terent. Andr. II, 1, 16. Taurus  
porro est *mons* quidam *Ciliciae*, *sed non* est  
*mons* iste *solo* hoc *nomine* \*); non enim *Taurus*  
vocatur tantummodo, sed aliqua sui parte  
*Imaus*, alia *Emodus* cet. Inter *sidera*, quae  
*in caelo* circumuehuntur, est taurus; et tauri seu  
boues *in terris* ambulant.

XXXIII.

\* ) Castalio explicabat: non sum solo, i. e. uno  
nomine, non εν τι σημαίνω, sed πολύσημος.

XXXIII. LVPVS.

*Dentibus insanis ego sum, qui vinco bidentes,  
Sanguineas praedas quaerens, victusque cruentos;  
Multa cum rabie vocem quoque tollere possum.*

*Bidentes*, oues. Lupus vehementes et horribilis edere solet vulnus, h. e. *vocem multam cum rabie tollit*. Alii *vocem tollere* accipiunt pro *loquela* auferre seu eripere; veteres enim credebant, si lupus prior vidisset hominem, hunc statim obmutescere, nec verba proloqui posse. Fortasse auctor aenigmatis in ambiguitate vocis iudere voluit.

XXXIV. VVLPES.

*Exiguum corpus, sed cor mihi corpore maius.  
Sum versuta dolis, arguto callida sensu.  
Et fera sum sapiens, sapiens fera si qua vocatur.*

Vulpi *cor maius*, i. e. intellectus et sapientia maior, est, quam pro mensura corporis expectari poterat; *maior corpore* h. l. est *maior, quam pro corpore*. Incongruum est feram vocare sapientem; sed *si quam feram sapientem* vocari licet, certe vulpes ita vocanda erit.

XXXV. CAPRA.

*Alma Iouis nutrix, longo vestita capillo,  
Culmina diffici peragrans super ardua gressu,  
Custodi pecoris tremula respondeo lingua.*

Amalthea capra fuit *Iouis nutrix*. *Alma* hic proprie pro *alens*. *Peragrare*, quod alias accusatium

C satium

34 CENTVM AENIGMATA VETERA.

satiuum post se habet, hic cum *super* coniungitur; est igitur pro *circumvagari*. Culmina sunt montium et rupium. *tremula*, tremulum sonum edente, *lingua*.

XXXVI. PORCVS.

*Setigerae matris fecunda natus in aluo,*  
*Desuper ex alto virides exspecto saginas,*  
*Nomine numen habens, si littera prima periret.*

*Aluus iterum pro vterus.* *Ex alto*, ex arboribus; *desuper ex alto*, pleonasmus, quem nobis imitari licet; von oben aus der Höhe herab. *Virides saginae*, glandes querneae, lignes, cerreae, fageae. Si voci *porcus* primam demas litteram, relinquitur *Orcus*, quod est *nomen numinis*; Pluto enim Orcus quoque vocatur.

XXXVII. MVL A.

*Dissimilis patri, matri diuersa figura,*  
*Confusi generis, generi non apta propago,*  
*Ex aliis nascor, nec quisquam nascitur ex me.*

Mula *dissimilis* est *patri suo*, equo, et *figura*, secundum figuram, etiam *matri* siue a matre, asina, *diuersa*; porro est *generis* ex equo et asino *confusi* et commixti; sed haec equi et asinae *propago* non apta est *generi propagando*, mulae enim non pariunt.

XXXVIII.

XXXVIII. TIGRIS.

*A fluuio dicor, fluuius vel dicitur ex me,  
Iunctaque sum vento, vento velocior ipso,  
Et mihi dat ventus natos, nec quaero maritum.*

Vtrum *Tigris*, *fluuius Asiae*, dictus sit ab animali eiusdem nominis, an animal *a fluuio*, non constat. Equas quasdam nobiliores mares non admittere, sed a vento concipere retulerunt veteres. Idem alii de tigride narrarunt. Haec igitur connubia *iuncta* est cum *vento*, quem cetera velocitate superat.

XXXIX. CENTAVRVS.

*Quattuor insignis pedibus, manibusque duabus,  
Dissimilis mihi sum, quia non sum unus, et unus;  
Et vehor, et gradior, quia me duo corpora portant.*

Centaurus *in signis* est siue distinguitur ab omni reliquorum quadrupedum genere *quatuor pedibus* cet. Est *unus*, vnum animal, *et, non unus* quoque, quia ex homine et equo compositus.

XXXX. PAPAVER.

*Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta;  
Pes unus solus, sed pes longissimus unus;  
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.*

*Somnus amat papauer, quia illud somnum promouet et inuitat; ipsum papauer non dormit.*

36 CENTVM AENIGMATA VETERA.

XXXXI. MALVA.

*Anseris esse pedes similes mihi, nolo negare;  
Nec duo sunt tantum, sed plures ordine cernis;  
Et tamen hos ipsos omnes ego porto supinos.*

*Malua*, quam et nos *die Malve* vocamus,  
quamuis et aliis *die Pöppel* audiat, est planta,  
cuius folia non sunt absimiliae figurae pedis an-  
serini; et hi pedes anserini sunt supini, plantas  
caelo obuertunt.

XXXXII. BETA.

*Totā vocor Graece, sed non sum tota Latine;  
Ante tamen medium cauponis scripta tabernam  
In terris nascor, lymphā lauor, vngor oliuo.*

*Beta* 1) est littera; hanc totam duabis syl-  
labis nominant Graeci, Latini vnica tantum syl-  
laba *Be*; sed 2) si inuenias hoc nomen *scriptum*  
*ante medium cauponis tabernam*, non amplius  
littera est, sed significat plantam quamdam seu  
radicem, quae *in terris nascitur*, *lymphā* seu  
*aqua* abluitur, et *oliuo* seu *oleo* vngitur et per-  
funditur.

XXXXIII. CVCVRBITA.

*Pendeo, dum nascor; rursus, dum pendo, cresco;  
Pendens commoueor ventis, et nutrior undis.  
Pendula si non sim, non sum iam iamque futura.*

Cucurbita pendens nascitur, crescit, moue-  
tur et irrigatur. *iam iamque*] breui, mox.

XXXXIV.

XXXXIV. CEPA.

*Mordeo mordentes, ultro non mordeo quemquam;  
Sed sunt mordentem multi mordere parati;  
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo ullos.*

*ultro, nisi ipsa antea morsu prouocata sit,  
non mordet cepa quemquam. Mordere parati,  
alias ad mordendum parati.*

XXXXV. ROSA.

*Purpura sum terrae pulchro perfusa colore,  
Septaque, ne vioter, telis defendor acutis.  
O felix, longo si possem viuere fato!*

Rosa est quasi *purpura* seu summus decor terrae; a *telis acutis*, spinis nempe, quae illam *sepiunt*, *defendit*, ne quisquam eam *violare* audeat. *Felix* esset, si *posset longo fato* seu *aeuo*, i. e. diu viuere.

XXXXVI. VIOLA.

*Magna quidem non sum, sed ineſt mihi maxima  
virtus;  
Spiritus est magnus, quamuis in corpore paruo;  
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ru-  
borem.*

*Virtus* est *praefantia*. *Spiritus* significat animum, die Seele, sed etiam halitum, den Hauch, i. e. odorem (flores enim dicuntur spirare odorem). Poeta in ambiguitate vocis lu-

C 3

dit.

## 38 CENTVM AENIGMATA VETERA.

dit. *Germen* meum (nota *mihi* saepe ita poni, vt in explicatione substituendum sit pronomen possessuum *meus*) non habet noxam, i. e. ramuli mei non sunt confitae spinis, vt rosae germina, ideoque neminem pungunt; non habet *culpa* mea *ruborem*, numquam *erubesco* (de viola enim alba hic agitur), etiamsi fieri posset, vt *culpam* aliquam in me admiserim.

## XXXVII. TVS.

*Dulcis odor nemoris flamma fumoque fatigor,  
Et placet hoc superis, medios quod mittor in ignes,  
Cum mihi peccandi meritum natura negarit.*

Tus in altaria deorum coniiciebant ethnici, ibique incendebant. Nascitur in fruticibus aut arboribus *nemorum*, praesertim Sabaeae, regionis Arabiae felicis, istaque nemora *dulci odore* implet. Sed inde illud demunt homines et *flamma fumoque fatigant*; quod autem in ignem iniicitur, non displicet diis, quamuis combustionem nulla sua culpa meruerit, utpote cui a natura *meritum peccandi* i. e. culpa, die Verschuldung, *negatum* sit.

## XXXVIII. MYRRHA.

*De lacrimis et pro lacrimis mea coepit origo.  
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor.  
Laetus honor frondis, tristis sed imago doloris.*

Myrrha, Cinyrae, regis Cyprii, filia, in Sabaea mutata fuit in arborem sui nominis, quae teste

teste Ouidio (Metamorph. X, 500) flet, *tepidaeque manant ex arbore guttae*. Haec et ipsa effluvia *myrrha* audiunt, et de ista hoc loco agitur. *Origo eius est de (ex) lacrimis*, vt nempe *pro lacrimis* myrratae guttae destillarent. *Honor et decor frondis*, foliorum, insignis est atque *laetus* (sic *segetes* dicuntur *laetae*), sed *imago doloris*, quam referunt lacrimae, *tristis*.

## XXXXIX. EBVR.

*Dens ego sum magnus, populis cognatus Eois.  
Nunc ego per partes in corpora multa recessi;  
Nec remanent vires, sed formae gratia mansit.*

Ebur nihil aliud est, nisi dens elephantinus, et adfertur ex India praecipue, vbi plurimi sunt elephanti. Hinc ebur dici potest *cognatus populis* orientibus seu *Eois*. Ex illo parantur, dissectis dentibus, *multa corpora minora, instrumenta, vas a, utensilia*. Cum ebur adhuc dens esset, et in ore elephanti, magnae istius erant *vires*; his nunc deslituitur, sed *remansit* eadem *gratia* et pulchritudo *formae*, quae iam in dente fuerat.

## L. FOENV M.

*Herba fui quondam viridi de gramine terrae,  
Sed chalybis duro mollis praecisa metallo;  
Mole premor propria, tecto conclusa sub alto.*

## 40 CENTVM AENIGMATA VETERA.

Gramen quondam fuit herba in viridi illo  
vestitu terrae \*); sed postquam mollis ista her-  
ba duro chalybe praecisa, demessa, est, in hor-  
reum concluditur, ibique mole sua ipsius pre-  
mitur.

### LI. MOLA.

*Ambo sumus lapides, una sumus ambo iacentes;*  
*Quam piger est unus, tantum non est piger alter.*  
*Hic manet immotus; non definit ille moueri.*  
*non est piger] impiger, agilis.*

### LII. FARINA.

*Inter saxa fui, quae me contrita premebant;*  
*Vix tamen effugi totis collisa medullis;*  
*Et nunc forma mihi minor est, sed copia maior.*

Farina inter duo faxa totis medullis collidi-  
tur, confringitur, conteritur.

### LIII. VITIS.

*Nolo toro iungi, quamuis placet esse maritam.*  
*Nolo virum thalamo; per me mea nata propa-*  
*go est.*

*Nolo sepulcra pati; scio me submergere terrae.*

Vitis non cupidit per torum coniugalem cum  
aliquo marito coniungi; sed vult tamen marita  
seu maritata esse; maritatur autem vitis, cum  
vlmo

\* ) Virgil. Eclog. III, 26. non graminis attigit  
herbam.

vlmo aut cuiuis alii arbori adiuncta in altum du-  
citur. *Non vult sepeliri*, sed id patitur, vt vi-  
nitor se totam supplantet in *terram*.

LIV. HAMVS.

*Exiguum corpus, flexu mucronis adunci  
Fallaces escas medio circumfero fluctu.  
Blandior, ut noceam; morti praemitto saginam.*

Hamus (die Angel) est praeditus *flexu* seu  
*curuamine mucronis adunci*; *escas* huic mucroni  
impositae in *fluctu circumferuntur*, et quasi *sa-*  
*gina ante mortem praemittuntur*.

LV. ACVS.

*Longa, sed exilis, tenui producta metallo,  
Mollia duco leui comitantia vincula ferro;  
Et faciem laevis, et nexus reddo solutis.*

Acus *producta* seu in longum protracta est  
e *tenui metallo*. *Mollia vincula* sunt fila; haec  
ducit acus *leui ferro* i. e. per leue ferrum, fila  
autem istud ferrum semper comitantur et se-  
quuntur. (Si *ferro leui* accipias in datiuo; no-  
tes non plane insolitum esse *comitari* datiuo iun-  
ctum pro *comitem esse*.) Tandem acus *laevis*  
rebus *faciem* suam et formam pristinam restituit,  
*solutis* et scissis *nexus*.

## LVI. FICO seu CALIGA.

*Maior eram longe quondam, dum vita manebat;  
Sed nunc exanimis, lacerata, ligata, reuulsa,  
Dedita sum terrae, tumulo sed condita non sum.*

*Fico* (vox posterioris aeui) *caligae* genus fuisse videtur ex ocrea vel perone factum. Solent et hodie ocreas et calceos praecidendo et truncando in sandalia mutare pauperiores; *ficonem* autem genus quoddam calceamenti monachici et rustici fuisse Dufresnius prohibet; monachos paupertatis speciem prae se ferre solere notum est. Age nunc ad explicationem! *Caliga*, *dum* nondum truncatus erat, *viuebatque* quasi adhuc, longe maior erat. *Sed nunc* quasi exanimis est, *lacerata, ligata* i. e. fasciis et ligamentis circumdata, quibus nempe caligae instructae erant, vt in talis possent religari, *reuulsa* a soleis (nouae enim soleae caligis clauorum ope suppingebantur, de quibus clavis videatur aenigma statim insequens) in *terram*, humi, tamquam res vili abiciuntur. *Tumulo condi* est *sepeliri*.

## LVII. CLAVVS CALIGARIS.

*In caput ingredior, quia de pede pendeo solo.  
Vertice tango solum; capit is vestigia signo;  
Sed multi comites casum patiuntur eundem.*

*Clavus*, quo soleae caligarum suffiguntur, capite seu *in caput ingreditur*. *Vertice* seu capite, non planta sua, tangit solum; hinc etiam non

non *vestigia* plantae, sed *capitis signat* seu humo imprimit \*). Sed solutio potest esse in hoc *casu*, quod *eundem multi* alii clavi *patiantur*.

## LVIII. CAPILLVS.

*Findere me nulli possunt, praecidere multi.  
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.  
Malo manere niger; minus ultima fata verebor.*

Praecidi possunt capitis pili, sed non findi (saltim olim non poterant). Sunt in diuersis hominibus diuersi coloris, in aliis nigri, fusti in aliis cet. Accipio ergo *versicolor* pro *diuersicolor*, quod exemplis minime caret. Si tamen velis, interpretari etiam poteris de colore capillorum subinde mutabili, ut ex fuscis v. c. fiant nigri. Quo tandem colore sint capilli, postremum *albi* fiunt in senibus. *Quandoque est ali quando.* Mortem *minus verentur* capilli, quam aliae corporis partes; serius enim in puluerem abeunt. Ultima syllaba in *versicolor* hic producitur ob caesuram, quod exemplo Virgilii tueri se potest, qui Ecl. X, 69 scripsit. Omnia vincit *amor*; et nos cedamus amori. Cf. prooem. v. 12.

## LIX. PILA.

\*) Capita ista tamen non obtusa, sed acuta fuisse, demonstrat Nigrinus in opusculo de *caliga*.

44 CENTVM AENIGMATA VETERA.

LIX. PILA.

*Non sum cincta comis, et non sum comta capillis;  
Intus enim crines mihi sunt, quos non videt ullus.  
Meque manus mittunt, manibusque remittor in  
auras.*

Comae sunt cincinni et crines arte compo-  
fiti, *capilli* crines capitis, sine respectu ad com-  
tum. Ab alio *mittitur* pila, ab alio *remittitur*.

LX. SERRA.

*Dentibus innumeris sum toto corpore plena;  
Frondicomam sobolem morsu depascor acuto;  
Mando tamen frustra, quia respuo praemia dentis.*

Arbores frondes seu folia pro coma habent;  
hinc vocari possunt *frondicomae*. Serra depa-  
scitur nemoris *sobolem frondicomam*, arbores.  
Respuit *praemia* s. praedam *dentis*, scobem.

LXI. PONS.

*Stat nemus in lymphis, stat in alto gurgite silua,  
Et manet in mediis undis immobile robur;  
Terratamen mittit, quod terrae munera praestat.*

Vt aenigmate praecedente *comam* et *capillos*,  
paene synonyma, coniunxerat, sic hic iterum  
coniungit *nemus* et *siluam*, *lymphas* et *gurgitem*.  
Verte: Ein Wald steht in der Flut, und Bäume  
im tiefen Wasser. Deinde *robur* non minus est  
pro

pro arbore, sed verti potest *Holz*. Quia pons  
*terrae* vice fungitur, *terra* illa *mittit* atque ex-  
hibet, quibus ad pontem struendum opus est.

LXII. SPONGIA.

*Ipsa grauis non sum, sed aquae mihi pondus in-  
haeret;*

*Viscera tota tument patulis diffusa caueris;  
Intus lympha latet, sed non se sponte profundit.*

*Viscera tota* (das ganze Innere) *spongiae*  
*tument*, et *diffusa* seu dilatata sunt *patulis*, ex-  
tentis atque amplis, suis *cauernis* i. e. poris.  
In *profundit* syllaba prima anceps est, et corri-  
pitur apud Virgilium, Ouidium et Statium,  
quamvis id non in omnibus constitutionibus  
grammaticis obseruatum sit.

LXIII. TRIDENS.

*Tres mili sunt dentes, unus quos continet ordo;  
Unus praeterea dens est et solus in imo;  
Meque tenet numen, ventus timet, aequora curant.*

*Tres* habet *dentes* tridens in *uno ordine* iux-  
ta se positos; *in imo* hastili est quartus. Tri-  
dentein *tenet* Neptunus, eoque ventos terret  
(vid. Virgil. Aeneid. I, 128 sqq.); tridentis ra-  
tionem habent, cumque verentur *aequora*.

LXIV. SA.

46 CENTVM AENIGMATA VETERA.

LXIV. SAGITTA.

*Septa graui ferro, leuibus circumdata pennis,  
Aëra per medium volucri contendō meatu,  
Missaque discedens nullo mittente revertor.*

Ab alia parte sagitta munita est ferrea cuspidē, ab alia et quidem posteriori, pennis instructa. *Meatus volucris* est *celer volatus*. Sagitta non nisi ab aliquo missa in aëra discedit, verum ex alto *nullo mittente*, sed sponte sua reuertitur.

LXV. FLAGELLVM.

*De pecudis dorso pecudes ego terreo cunctas,  
Obsequio cogens moderati lege doloris;  
Nec volo contemni, sed contra nolo nocere.*

*De (ex) pecudis dorso*, cui insidet rusticus aut pastor, *terret* flagellum omnes pecudes. Potest tamen sic quoque intelligi: Flagellum, quod desumtum et paratum est ex dorso, corio, pecudis cet. Cogit eas *obsequio*, i. e. ad obsequium (sic Virgilius: *It clamor caelo,*) *lege* et *vi doloris moderati* atque ferendi.

LXVI. LATERNA.

*Cornibus apta rauis, tereti perlucida gyro.  
Lumen habens intus diuini sideris instar,  
Noctibus in mediis faciem non perdo dierum.*

Lucerna

Lucerna ex *cornibus cauis apta* \*) seu confecta, composita est, et per *teretem*, corrotundatum, gyrum s. ambitum lucem transmittit. *In se* habet *lumen*, quod simile est *fideri* alicui caelesti, facitque ut noctu non desit *facies* seu similitudo quaedam lucis *dierum*.

LXVII. SPECVLAR.

*Pespicio* penitus, nec *luminis arceo visus*,  
*Transmittens oculos intra mea membra meantes* ;  
*Nec me transit hiems, sed sol tamen emicat in me.*

Specular seu speculare est orbis vel quadra ex lapide quodam pellucido, quibus olim vtebantur pro nostris vitreis; ergo eine steinerne Fensterscheibe. Lapis iste pellucidus vocabatur *specularis*. Tale specular non arcet *visus* seu intuitus *luminis*, oculi, praetereuntium hominum, ab illis, quae in aedibus fiunt, nec eorum, qui in aedibus sunt, ab illis, quae in platea fiunt, sed lucem *transmittit*, adeoque *oculos* quasi hominum *intra membra eius meantium* h. e. post ipsum latentium. *Hiems*, mala tempestas, non transit, sed *solis* tamen radii et calor.

LXVIII. SPECVLVM.

*Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura.*  
*Fulgor inest intus, radianti luce coruscans,*  
*Qui nihil ostendit, nisi si quod viderit ante.*

Speculo

\*) *Apta* proprie est participium verbi obsoleti *aperire* vel *apisci*, quod nectare vel conformare significabat.

## 48 CENTVM AENIGMATA VETERA.

Speculo *nulla certa* ac sempiterna *figura* ad-signata est, quam semper ostendat; sed quamvis ostendere potest, ergo nulla figura ei *peregrina* vel aliena est. *Fulgor*, qui ei *inest*, *coviscat*. *Nisi si* est *nisi*.

## LXIX. CLEPSYDRA.

*Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,*  
*Vis auidae linguae finis sine fine loquendi,*  
*Ipsa fluens, dum verba fluunt, ut lingua quiescat.*

Clepsydra est horologium nostrorum clepsiammidiorum simile, nisi quod pro arena aquam transmittat. Cum orationes Romae habendae essent, oratori certus numerus clepsydrarum concessus est, quae postquam effluxerant, oratio finienda erat. Clepsydra ergo *bona lex dicendi*, dum oratorem nimis arctis limitibus non includit, sed eadem tamen est *lex dura tacendi*, item *finis* est seu finem et terminum statuit *vi* illi ac naturali dispositoni *linguae humanae* cupientis *sine fine loqui*.

## LXX. PUTEVS.

*Mersa procul terris in cespite lymphä profundo,*  
*Non nisi perfoxis possum procedere venis,*  
*Et trahor ad superos alieno ducta labore,*

Putei *lymphä* (aqua) longe infra terrae superficiem est in humo alte cauata et effossa; haec aqua *non potest procedere* seu affluere, *nisi venas*

*venae* aquarium terram pertranseuntium *perfos-*  
*sae* sint. *Ad superos*, ad loca supra terram, *la-*  
*bitur*, fluit, peruenit, non sponte, sed *ducta*  
et protracta *labore* aliorum, hominum nempe  
aut animalium.

LXXI. TVBVS.

*Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphae;*  
*Alueus est modicus, qui ripas non habet ullas.*  
*In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.*

Tubus est ligneus canalis, per quem aqua aliquo deducitur, constans ex *trunko* arboris. Hic truncus sub *terra* et *cespibus* latet nec oculis supergradientium adspicitur. Foramen trunci flumini isti subterraneo pro *alueo* est; sed *ri-*  
*pae* alueo desunt. Aqua alias *ligna vehit*, nunc  
*in ligno vehitur.*

LXXII. FOLLIS.

*Non ego continuo morior, tum spiritus exit;*  
*Nam redit adsidue, quamuis et saepe recedat,*  
*Et mihi nunc magna est animae, nunc nulla*  
*facultas.*

*Continuo, statim. Spiritus seu ventus exit*  
*et recedit idem est. Anima pro vento, facultas*  
*pro copia.*

D

LXXIII.

50 CENTVM AENIGMATA VETERA.

LXXIII. LAPIS.

*Deucalionis ego crudeli fospes in vnda,  
Adfinis terrae, sed longe durior illa.  
Littera decedat, volucris quoque nomen habebo.*

Deucalionis diluum, quo praeter Deucalionem et coniugem Pyrrham totum mortalium genus extinctum est, lapides extinguere non potuit. Demto *L* remanet *apis*, nomen animalis volantis.

LXXIV. CALX.

*Evasi flamas, ignis tormenta profugi.  
Ipsa medela meo pugnat contraria fato.  
Ardeo de lymphis; mediis incendor ab undis.*

Flamma non nocuit calcii, cum e lapide coqueretur; effugit ergo viu atque vexationem *ignis*. Aqua, quae alias *medela* esse solet contra vim ignis, contra, e contrario, *pugnat*, nocet, fato calcis. *Lymphae* causa sunt, vt *ardeat*; *vndae*, quibus vndique circundatur, eam *incendunt*.

LXXV. SILEX.

*Semper ineſt intus, sed raro cernitur ignis;  
Intus enim latitat, sed solos prodit ad ictus;  
Nec lignis, vt viuat, eget, nec, vt occidat, undis.*

Ignis in venis silicis latens *viuit* sine ope *lignorum*, *occidit* seu perit, non admota aqua.

LXXVI.

LXXVI. ROTAE.

*Quattuor aequales currunt ex arte sorores,  
Sic quasi certantes, quam sit labor omnibus unus;  
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.*

*Aequales* est eiusdem figurae non eiusdem aetatis. Ex arte, regulis artis conuenienter, artificiose. *Certant quasi, quamuis singulis idem labor perpetiendus sit. Pariter prope, aequae prope,* sind sich einander gleich nahe, quod cum grano fali accipiendum.

LXXVII. SCALAE.

*Nos sumus, ad caelum qua et tendimus alta petentes,  
Concordi fabrica quas unus continet ordo,  
Ut simul haerentes per nos scandatur ad auras.*

Res altae, v. c. montes, alta seu caelum petere dicuntur, ergo et scala seu, quod idem significat, scalae in plurali. Scalae seu gradus uno ordine continentur, stehen über einander, (cf. LXIII, 1.), concordi fabrica, concorditer fabricatae, i. e. iisdem interuallis dispositae. *Simul haerent* gradus in vna pert.ca seu potius in duabus.

LXXVIII. SCOPA.

*Mundi magna parens, laqueo connexa tenaci,  
Iuncta solo plano, manibus comprehensa duabus,  
Ducor ubique sequens, et me quoque cuncta sequuntur:*

D 2

Mundus

52 CENTVM AENIGMATA VETERA.

Mundus et systema rerum creatarum significat, die Welt, eiusque *magna parens* est natura, et munditium, die Reinlichkeit, cuius *magna parens* dici possunt scopae. Pro *scopae* hic habetur singularis *scopa*, cuius meminit quoque Charisius, grammaticus antiquus. *Tenax*, firmiter tenens. Scopae *iunguntur solo plano*, cum terram verrunt. Scopae *sequuntur manum verrentis et secum trahunt quisquilias*. Posterius *sequi* vertatur *mitgehen*.

LXXIX. TINTINNABVLVM.

*Aere rigens curuo patulum componor in orbem;*  
*Mobilis est intus linguae crepitantis imago;*  
*Non resonat positus, motus quoque saepe resultat.*

Tintinnabulum est parua campana, quali vti solent domini ad vocandos seruos. Malleolus *mobilis campanae* (der Klöpfel siue Klöppel) habet *imaginem linguae garrientis*. *Positus et motus* referuntur ad *orbis*.

LXXX. CONDITVM.

*Tres olim fuimus, qui nomine iungimur uno;*  
*Ex tribus est unus, tres et miscentur in uno;*  
*Quisque bonus per se, melior, qui continet omnes.*

*Conditum est multis quoddam genus e melle,*  
*vino et pipere.*

LXXXI.

LXXXI. ACE TVM EX VINO.

*Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum;  
Nec tamen inuenio, quidquid prius ipse reliqui,  
Quod fuerat, non est; coepit, quod non erat, esse.*

Vinum inerat in vase; inde *nihil sublatum* est, nec quidquam infusum. Homo tamen, qui vinum in isto vase reliquit, non inuenit vi-num in eo, sed acetum.

LXXXII. MALVM.

*Nomen habens Graecum, contentio magna  
dearum,  
Fraus iuuenis pulchri, multarum cura sororum,  
Excidium Troiae, dum bella cruenta peregi.*

Malum est Graecae originis; Graece enim vocatur  $\mu\tilde{\eta}\lambda\sigma\nu$ ; Deae tres, Juno, Pallas, Venus, altercatae sunt de malo, quod inter ipsas missum erat ab Eride inscriptum *pulcherrimae*; per malum cursus celerioris praemio fraudauerat Atalantam Hippomenes *iuuenis pulcher* (vid. Ouid. Metam. X, 560 sqq.); Hesperides sorores custodierunt mala horti sui aurea (Palaephatus, cap. 19, Seruius ad Virg. Aen. IV, 484), denique fuit malum Troiae quoque excidium, postquam *bella* ingentia excitauerat.

54 CENTVM AENIGMATA VETERA.

LXXXIII. PERNĀ.

*Nobile duco genus magni de gente Catonis.  
Vna mihi soror est, plures licet esse putentur.  
De fumo facies, sapientia de mare nata est.*

Catones vocabantur gentili nomine Porcii, ergo perna (der Schweinshacken, item der Schinken) est de nobili genere gentis Catoniae seu Porciae. Unam sororem habet perna, quasi germanam, scilicet eiusdem porci. *Facies* atra pernae est *de fumo*, seu a fumo. *Sapientia* hoc loco est sapor, der Geschmack. *De mare*, de sale maris (*mare* est ablatius antiquus pro *mari*).

LXXXIV. MALLEVS.

*Non ego de toto mihi vindico corpore vires;  
Sed capit is pugna nulli certare recuso.  
Grande mihi caput est, totum quoque corpus in illo.*

Malleus non *toto corpore* agit, sed *capite* tantum. *Pugnare* alicui pro pugnare cum aliquo. *Totum corpus* in capite est, quia capite tantum agit.

LXXXV. PISTILLVS.

*Contero cuncta simul virtutis robore magno.  
Vna mihi ceruix, capitum sed forma duorum.  
Pro pedibus caput est; nam caetera corporis  
absunt.*

Pistillus, die Mörserkäule. *Virtus* est vis. Pistillus habet duo capita seu fines, vnam ceruicem,

cem, qua est manubrium. Pedem non habet,  
sed vnum ex duobus capitibus est pro pede.  
Illud caput, quo tunditur, est pro pede quasi.

LXXXVI. STRIGILIS.

*Rubida, curua, capax, alienis humida guttis,  
Luminibus falsis auri mentita colorem,  
Dedita sudori, modico succumbo labore.*

Strigilis instrumentum balnei erat, quo im-  
mundiciem et sudorem cutis detergebant. Erat  
coloris *rubidi*, figurae *curuae*, *capax* praeterea,  
totum corpus ambiens, non suis sed *alienis*, ho-  
minis nempe, *guttis*, i. e. sudore, madebat,  
erat ex orichalco, orichalco obductum, ergo  
auro similis ob splendorem *falsum*; *sudori de-  
dita* seu sudore plena. Non diu patitur *labo-  
rem*, mox defatigatur.

LXXXVII. BALNEVM.

*Per totas aedes innoxius introit ignis.  
Est calor in medio magnus, quem nemo veretur,  
Non est nuda domus, sed nudus conuenit hospes.*

Veteres habebant peculiares domos lotioni-  
bus humani corporis destinatas. Hae calefactae  
implebantur *igni* seu calore *innoxio*. *In medio*  
erat ignis *magnus*; sed istum, utpote innoxium,  
*nemo verebatur*.

56 CENTVM AENIGMATA VETERA.

LXXXVIII. TESSERA.

*Dedita sum semper voto, non certa futuri.  
Iactor in ancipites varia vertigine casus.  
Nunc ego moesta malis, nunc rebus laeta secundis.*

Tesserae, intellige tesseras ludentis, *semper deditae sunt votis, nec certo sciunt futura.* Vertigo plerumque est der Schwindel, sed h. l. et alibi etiam conuersio. *Anceps*, dubius.

LXXXIX, PECVNIA.

*Terra fui primo latebris abscondita terrae;  
Nunc aliud pretium flammae nomenquè dederunt;  
Nec iam terra vocor, licet ex me terra paretur.*

Postquam terrae argentum continent a flamma aliud pretium, aliudque nomen \*), pecuniae nempe, datum est, non amplius terra vocatur; sed *terrae* s. campi, agri, ex ea parari possunt.

LXXXX. MVPLIER GEMINOS

PARIENS.

*Plus ego sustinui, quam corpus debuit unum.  
Tres animas habui, quas omnes intus habebam,  
Discessere duae, sed tertia paene secuta est.*

*Tertia anima paene secuta est* duas, i. e. paene quoque e corpore discessit, seu mortua est.

LXXXI.

\*) Heumannus ita explicat: postquam ab igni et nomine Cæsaris numis inscripto, maius pretium terrae isti metallicæ inditum est.

CENTVM AENIGMATA VETERA. 57

LXXXI. MILES PODAGRICVS.

*Bellipotens olim saeuis metuendus in armis  
Quinque pedes habui, quos umquam nemo ne-  
gauit;*

*Nunc mihi vix duo sunt. Inopem me copia fecit.*

Romani milites esse debebant statura *quinque pedum*. Podagricus non integros habet *duo* pedes, corpus nempe sustentantes. *Copia* vini *inopem* militem fecit pedum atque virium; Bacchus est pater podagrae.

LXXXII. LVSCVS ALLIVM

VENDENS.

*Cernere iam fas est, quod vix tibi credere fas est.  
Vnus inest oculus, capitum sed millia multa.  
Qui, quod habet, vendit, quod non habet, unde  
parabit?*

*Fas est*, licet. Allia vocantur *capita*. Unde ille, qui capita *vendit*, oculum, partem capitis, quam *non* habet, parabit?

LXXXIII. FVNAMBVLVS.

*Inter luciferum caelum terrasque iacentes  
Aëra per medium docta meat arte viator;  
Semita sed breuis est, pedibus nec sufficit ipsis.*

Funambulus medius incedit inter aëra et terram, et semita, qua incedit, funis nempe, angustior est, quam planta pedum.

58] CENTVM AENIGMATA VETERA.

LXXXIV. NVMERVS OCTONARIUS  
DIGITORVM MINISTERIO  
EXPRESSVS.

*Nunc mihi iam credes, fieri quod posse negatur.  
Octo tenes manibus, sed me monstrante magistro  
Sublatis septem reliqui tibi sex remanebunt.*

Veteres per digitos numerabant; sex significabant omnibus sinistram praeter annularem seu minimo proximum expansis, septem solo minimo depresso, octo depresso annulari et minimo seu auriculari. Si ergo auricularem septem exprimentem ergebant, relictus est annularis datus depresso, ergo numerus senarius. Haec explicatio est facillima. Alii aliter explicant. V. c. Heumannus sic intelligebat: Octo quis tenet globulos manu; tollit aliis septem; relicti erunt sex, unus nempe globulus et quinque diti. Corrigenda est fortasse explicatio Heumanniana hoc modo: Si quis octo (globulos aut alia quaevis) manibus compressa tenet, et aliis tollat septem, nempe quinque digitos comprimentes et duo ex iis, quae custodiebantur, reliqui manebunt sex.

LXXXV. VM BRA.

*Insidias nullas vereor de fraude latenti;  
Nam Deus attribuit nobis haec munera formae,  
Quod me nemo mouet, nisi qui prius ipse mouetur.*

Non potest vmbrae nocere insidiator *latens*;  
*nam* natura eam dotem *formae* dedit ac illi trahuit,

buit, quod a *nemine moueri* et impelli possit,  
nisi qui antea motu se prodiderit. *Nobis* v. 2.  
est pro *mihi*.

LXXXVI. ECHO.

*Virgo modesta nimis legem bene seruo pudoris.*  
*Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua;*  
*Vltro nolo loqui, sed do responfa loquenti.*

Echo comparari potest *virgini nimis modeſtae* h. e. *permodeſtae* \*), quae leges *pudoris* diligenter obſeruat. *Vltro*, si alter eam non ante allocutus est, *non loquitur*, sed ultima tantum *loquentis* verba responſionis loco repetit.

LXXXVII. SOMNVS.

*Sponte mea veniens varias ostendo figurās;*  
*Fingo metus vanos nullo discrimine vero;*  
*Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.*

LXXXIX MONUMENTVM.

*Nomen habens hominis post ultima fata remansi;*  
*Nomen inane manet, sed dulcis vita profugit;*  
*Vita tamen supereſt morti post tempora vitae.*

Monumentum h. l. ein Grabmal, h. e. ſepulcrum cum inscriptione nominis. *Nomen* alicuius *hominis* in fronte gerit, post mortemque eius *remansit*. Sed *nomen* est res *inanis* ;  
quae

\* ) Heumannus *nimis coniungi* vult cum *bene*.

## 60 CENTVM AENIGMATA VETERA.

quae maior et grauior erat, vita, *profugit*.  
(*Pro* in *profugio* etiam ab aliis interdum corripitur.) *Vita* tamen aliqua *morti* superstes facta est, nempe vita nominis, *post exactam vitam corporis*.

### LXXXIX. ANCORA.

*Mucro mihi geminus ferro coniungitur uncō;*  
*Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo;*  
*Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.*

Ancorae (in casu tertio) seu in ancora sunt duo *mucrones*, qui per *ferrum uncum coniunguntur*. Impedit, quo minus venti et aquae nauim abripere possint. In medias aquas demittitur; saepe etiam in ripas ipsius terrae conciicitur.

### C. OLLA.

*Mater erat tellus; genitor fuit ipse Prometheus;*  
*Auriculaeque regunt redimitae ventre cauato.*  
*Dum cecidi infelix, mater mea me diuīsīt.*

*Promotheus*, qui hominem ex luto finxit, iure quodam suo artis figulinae, ollaeque adeo inuentor \*) dici potest (cf. Juuenal. IV, 133). Ansae duae seu *auriculae* in *ventre cauato* applicatae ollam *regunt*. *Mater* ollae, terra, eam *diuidit*, frangit, *dum cadit*. *me diuīsīt*, clausula Hexametri spondaici.

\*) Potest etiam sic explicari: *Promotheus* homines docuit ignis usum, hinc ollae quoque artisque coquendi.

### NOTAE

NOTAE CRITICAE  
AD  
SYMPOSII AENIGMATA.

---

PROOEMIVM.

**V**ersum primum et secundum vncinis inclusi.  
Saluo sensu abesse eos posse, nemo negabit. Absunt etiam a Codice Pithoei et Perionii, et erat, cum ipsi Heumanno supposititii viderentur. Sed cum ille deinde animaduertiret, versus hos, si recte ab ipso emendarentur, non parum nouam opinionem suam esse confirmaturos, ex ingenio rescripsit

*Hoc quoque Symposium lusi de carmine inepto.*

*Sic me Sicca docet, Sicca deliro magistra.*

Quia enim *Siccae*, in vrbe Africæ, primos aetas annos transegerat Lactantiūs, immo, vt Heumannus sibi persuadebat, ibi natus etiam erat, non abs re fore videbatur viro doctissimo, si istius vrbis in prooemio fieret mentio, vt adeo Lactantiūs ad Siccensem consuetudinem prouocaret, qua sibi liceret quamuis homini Christiano sacra ethnicorum concelebrare. Coniecturae audaciam vt latius ostendam vix necesse esse puto. Ut porro post versum primum punctum,

sic

sic post secundum comma tantum ponit, ut adeo secundus cum tertio coniungatur. Vides autem, quam male conueniat *Sicca me docet — dum redirent.* Debebat: *dum redeunt.* De correctione primi versus Gesneriana dixi in praefatione. Bunemannus versus secundi lectionem vulgatam retinet, quod factum quoque erat in editione operum Lactantiana, sed prioris, quam ita exhibuit, prout ab Heumanno emendatus erat, ita restituere in notis molitur: *Hoc quoque Symposium de carmine Lucii inepto,* aut adeo: *Haec quoque Symposii de carmine Lucii inepto i. e.* Haec quoque epigrammata pars sunt *Symposii a Lucio conscripti.*

v. 7. *Dum.* Recepit ex Cod. Anglicano primo pro *cum.* *Dum* cum coniunctivo est peioris Latinitatis; sed sic iam coniunxerat v. 3.

v. 8. *inepti*] Basueli editio *ineptum*, i. e. inepte, quam lectionem miror Fabricio placuisse.

v. 9 et 10. exhibui, ut in omnibus Codd. leguntur. Heumannus ex sola coniectura dedit:

*Magno nescio quas passim de carmine nugas  
Est meditata; diu sic friuola multa secuta est.*

*Magno* coniungi volebat cum *studio* v. 8, et *de carmine* explicabat *metrice, versweise.* Praeter traiectionem scripturae antiquae longe audacissimam nouus hic versus a Heumanno effectus vera caesura caret, cum duo priores pedes singulis absoluantur vocibus. Vulgatum in subiecta interpretatione ita explicui, ut ferri posse

posse credam. *Nugae magno de nomine sunt speciosae; nomen pro specie et magnifico titulo ponit ostendit Cortius ad Ciceron. epist. ad divers. I, 4, 4.*

v. 12. *diuersa*] Sic lego cum Codice Anglicano primo editionibusque Causini et Castalianis. Syllaba *sa* ob caesuram producitur, male id quidem, sed ita tamen, ut scriptori isti condonandum sit. Cf. Aenigm. LVIII, 2. Habent talia etiam Lucretius et alii; sed duo cum faciunt idem, non est idem. Heumannus pro *diuersa* dedit *de versu*, i. e. metrice. Fabricius lectionem Basueli praefert: *Ponere diuerte, vel soluere quisque viciſſim.*

v. 14. *attuleram*] Heumannus ex Anglicano primo et Lugdunensi primo recepit *attulerim*, non male, qui nihil *attulerim* tunc explicandum erit quod nihil *attulerim* et referendum ad *foede tacuisse*.

v. 15. *subito de carmine vocis*] Placuit mihi aliquando Barthii emendatio *subito decerme vocis*. *Decermen* nempe est a *decerpo*; esset igitur *quae voce quasi festinans decerpseram*. Sed *de carmine* tandem eodem redit, et *de*, ut saepius, *παρέλκει*. Heumannus post *carmine* interpungit, et deinde emendat *Voces insanias inter.* Sed aperte noster respexit ad Horatii verba, ut Castalioni iam obseruatum est, L. II, Sat. 3,

v. 39. 40.

— — *Pudor, inquit, te malus angit,  
Insanos qui inter vereare insanus haberi.*

v. 16.

v. 16. *quod non sapit*] Lectio Anglicani primi et Pithoeani, item editionis Basueli. Praestat illi alteri Perioniana: *si non sapit*. Vulgati ex Castalionea absurde: *quid non capit*. Confert tamen Castalio Horatianum illud: *Quid non ebrietas designat?*

*Aenigm. I.* In inscriptione *stilus* praestare monuerat Gesnerus alteri illi lectioni, sed omnium codicum, *graphium*. Accessit Heumannus. Neutra vero de se loquuntur in masculino; vid. *aenigm. L et LXXX.*

v. 2. diuersa et munera] Sic Codex Lugdunensis vterque, item monente Fabricio editio Basueli. Vulgati: *diuerso et munere*, sine dubio ex emendatione librarii artem grammaticam ostendere volentis.

*II, 1. digitis signata magistris*] Constat lectio omnium codicum (nisi quod Anglicanus tertius et editio Perionii *magistri*, non male, habent). Explicatio mea vix mihi facit satis. Conieci aliquando pro *magistris* legendum esse *ministris*; *digitis ministris* h. e. *digitorum ministerio*. Heumannus ex ingenio *digitis stipata* (circumdata) *ministris*. *Signare* pro *imprimere* est etiam apud Ciceronem in Quaest. Academ. 4, 71, ubi notiones dicuntur *signari* in animis nostris. Infra Aenigm. LVII. habes *vestigia signare* pro *vestigia terrae imprimere*.

*IV. 2. recludo*] Sic codex Anglicanus primus et Lugdunensis primus, item editio Basueli. *Recludo* est pro *claudio*, ut apud Justin. I,

9, 16.

9, 16. De particula *re* significatum primitiui non immutante vid. Cortius ad Sall. Iug. cap. 4. sub fin. et ad Cicer. V, epist. 4, n. 7. Praeterea *recludere* h. l. est *rurus claudere et iterum recludere* pleonasmus. Non refragabor tamen, si quis praeferre velit lectionem Camerarii *concludo*, cuius vestigia remanent etiam in Anglicano tertio, vbi legitur *iterumq. claudio*, cum librarius in archetypo suo sine dubio inuenerit *iterum glado*. Nec ipsa haec lectio *iterumque claudio* spernenda est.

V, 3. et solui] Retinui vulgatam. Heumannii coniectura *exsolui* non est spernenda illa quidem, sed tamen minus necessaria, cum *solvare* ponatur etiam pro *exsoluere*. Terentius: Non recte vinctus est; *iube solui*. Andr. V, 4, fin.

VI, 2. Sic hunc versum emendat Heumannus. Vulgati inepte: *Est domus in alto, sedes est semper in alto.*

3. qui me cito] Mallem *sed me cito*. Vestigia huius lectionis seruant Anglic. tertius et edit. Perionii, vbi *sed* diserte legitur, quamuis cetera varient.

VII, 1. Sunt mihi, sunt lacrimae.] Constat lectio Codicum, quam explicari posse in illustratione contextui subiecta videbis. Heumannii emendatio, *funduntur lacrimae*, admodum iejuna est. Hafaeus coniiciebat: *Sum tibi fons lacrimae, sed non sum cauſa doloris.*

E IX, 3.

IX, 3. Heumannus pro vulgato *sed sinus excipit*, qui me simul ipse recepit emandatum dedit. *Et sinus effudit qui me prius, ipse recepit*, vestigiis insistens lectionis codicis Anglicani primi, vbi habetur *Et sinus excipit, qui me simul recipit ipse*, ad excipit autem glossa adscripta est offendit. Ego lectionis huius vestigia pres. sius sequi tentaui, nec, credo, infeliciter. *Simul est pro quoque*, aut *qui simul pro qui idem*.

XV, 3. patitur] Heumannus corrigebat *faciet*, et explicabat: Quod iam natiuitas mea fecit, ut me nascente emoreretur mater, id olim mors faciet mea, nascituris et aliis me moriente.

XVIII. 3. consilium.] Vulgati habent *conchylium*, quod retinuit Heumannus, quamuis vox haec antepenultimam alias habeat longam, quae hic corripienda foret. Quid porro significat vox *conchylia*? An cochleae testam seu dominum? Minime; sed muricem, aut concham in genere, aut colorem denique purpureum. Fac tamen significare; num aenigma adhuc erit, si conchylium memoretur, quod aperte prodit cochleam. Apage ergo istam lectionem, cuius *ætoricæ* iam vidit Castalio: *Confilium* diserte habetur in Anglicano tertio, Lugdunensi secundo atque in editionibus Perionii et Basueli. In Anglicano primo et Lugdunensi primo est *councilium*, sed iam viris doctis obseruatum est, istas voces a librariis confundi solere. Lectionem quinque

quinque Codicum omnino praeferendam censeo, eamque, vt cumque potui, explicare conatus sum. Aliquando iam eo, quamquam inuitus, confugeram, vt auctorem *domicilium* dura admodum et insolita syncope pro *domicilium* scripsisse putarem.

XIX. Heumannus transponit contra omnem Codd. consensum versum secundum et tertium, eosque ita legit:

*Quumque canam semper, nullus mea carmina laudat.*

*Sic vox laude caret, quae se laudauerit ipsa.*

XX, 1. specioso] Heumannus ex conjectura dedit *spatiose*, quod eodem tamen fere redit.

2. 3. Heumannus sic verba transposuit:

*Viua nihil dixi; sed saeuo perdita fato,*

*Docta fui studio, quae sic modo mortua canio.*

Sed vides explicari posse vulgatam, in qua nihil mutaui, nisi quod *prodita* ex Codice Anglicano tertio et editione Perioniana receperim pro *praedita*, quod et ipsum ferri posse contendeo. Gesnerus legere volebat *sum modo* pro *sic modo*; male, si quid video.

XXIV, 3. *sumo*] Heumannus emendat *insumo*. *Sed sumere* pro edere et bibere satis frequens est. Vide v. c. Phaedr. III, 2, 4.

XXVI, 1. *volantis*] Vides me substantiue accipere, vt XXVIII, 2. Heumannus rescribebat *volanti*.

XXVIII, 3. *Sed sedeo*] Heumannus nulla  
vrgente necessitate corrigit: *Desideo*. Non sper-  
nenda lectio quatuor Codicum et editionis Baf-  
velianae: *Sed redeo in tenebris*.

XXX, 1. *notarum cunctis*] Ingeniosa Heu-  
manni emendatio pro vulgato: *nostrarum cunctis*.

XXXII, 2. *non sum nomine solo*] Heu-  
mannus *hoc* pro *sum* emendat; sed *hoc* facile  
potest suppleri eodem modo, vt *sum* supple-  
dum foret, si *hoc legeretur*.

XXXIII, 3. Heumannus sublata distinctio-  
ne post *cruentos* interpungit ante *vocem*. Sed  
noster sensus expletionem ad initium sequentis  
versus reseruare non solet. Si tamen admittat-  
ur explicata illa altera a me memorata, qua  
*tollere* pro *aufferre* positum est, omnino ista  
distinctio non erit incongrua.

XXXV, 2. *super*] Heumannus coniicit  
*licet*; sed non ausus est in contextum recipere.  
Editio Perionii *sed et*, quod plane absurdum.  
Nihil mutandum censeo; si quid tamen, vide  
an praestet *saepe*.

3. *lingua*] *voce*, Lugd. primus cum edi-  
tionibus Pithoei et Basueli; ex correctione fine  
dubio librarii imperiti.

XXXVI, 1. *in alio*] Heumannus nulla  
cogente necessitate corrigit: *ab alio. natus pro*  
*generatus*, vt *saepe*.

XLII. 2.

XLII, 2. Sustuli punctum post *tabernam*,  
ut coniungatur versus tertius cum secunda. Du-  
riuscula enim mihi videbatur et non satis ex-  
pedita Gesneri explicatio, quam in Thesauro  
suo repetiit, tabernis cauponum inscriptam fuisse  
litteram B, quae significauerit *Bonum*. Ego  
autem statuo integrum vocem *Beta* inscriptum  
fuisse, Symposium autem velle, non esse tunc  
nomen litterae, sed nomen plantae.

XLV, 3. Heumannus non solum rescribe-  
re gestit: *O felix, longam si possem viuere vi-  
tam!* sed integrum versum cum tertio sequentis  
aenigmatis permutandum censet. *Possem* recepi  
*pro possim*.

XLVI. Inscrbitur in nonnullis codicibus *li-  
lum*; sed quia flos iste in feminino genere de-  
se loquitur, *viola* praestat, quod etiam prae-  
stantissimi codices proferunt.

XLVII. Adsuitur huic aenigmati in plerisque  
editionibus versus quartus, isque longe insulfis-  
simus:

*Nec mihi poena datur; sed habetur gra-  
tia danti.*

Qui quomodo Castalioni genuinus videri po-  
tuerit, adeo ut tertium nostrum pro eo eiicien-  
dum censeret, satis mirari nequeo.

XLVIII. Nonnulli codices inscribunt *succi-  
num*, quod et ipsum ferri posset, nisi verosimi-

E 3 lius

lius videretur, *turi* statim subiungi *myrrham*, quae saepissime coniunguntur.

1. *pro lacrimis*] Sic constanter legunt MSS. et editi libri. Castalio coniecerat *per lacrimas*, quod adripuit et textui intulit Heumannus, qui facile sentire poterat, sic meram existere Tautologiam.

L, 2. *mollis*] Suspecta potest esse vox ista. Sed non habeo, quod iam pro eo substituam. Codicum Lugdunensium alter legit: *seu calibus duro sensum praecisa meatu*; alter: *seu calibus seu duro sum praecisa meatu*. Sed quis inde extricabit veram lectionem. Cui satis faciat, si pro *mollis* substituatur *validi*, aut tale quid, referendum ad *chalybis*?

LIV, 1. *adunci*] Nescio sane, cur Heumannus rescripsiterit *aduncum*.

LVI. Inscribunt plerumque CALIGAM; FICONEM addidi ex Anglicano primo, vbi CALIGA non legitur. Anglicanus secundus *Gallica* habet, quod et ipsum nomen calceamenti fuisse discas licet ex Gellio (XIII, 21), vnde frustra fuit, qui Glossam adscripsit *Caliga* tamquam correcturus. Heumannus in alia omnia abiens ab ingenio rescripsit LINVM, quia in caligam verba aenigmatis non conuenire putabat. Nescio, an linum dici possit longe maius fuisse, cum viueret. Neque illud concedo, *tumulo*

*con-*

*condita non sum idem esse ac nondum mersum  
sum in aquam terra cespititia depresso.* Etenim si linum plene describendum erat, omnino iam sepultum poterat dici; nisi enim ante in aquam demersum sit, nondum plane perfectum est. Vid. Plin. XIX, 1. Denique hoc quoque non omittendum est, *linum* non posse de se in feminino loqui.

2. *Sed nunc*] *Quia sed* statim iterum occurrit, mallem cum Anglicano secundo: *At nunc.*

LVII, 1. *In caput*] Frustra rescripsit Heumannus *in capite*. Pediculi ingrediuntur in capite, homines praestigiatores *in caput* aut *capite* (omisso *in*). Sic dicitur *in utramuis autem dormire*.

LXIII, 3. *aequora curant*] Sic omnes codd., contra quorum consensum Heumannus rescripsit *aequor adorat*. Sed *curare* non adeo iejune dictum est, ac illi videbatur. *Deos curare* est eos vereri, eorumque metu recte facere aut a male faciendo abstinere. Sic Virg. Eclog. VIII, 103: Nil ille *deos*, nil carmina curat.

LXVI, 3. Hunc versum sic emendat Heumannus: *Noctibus in mediis faciem prope reddo dierum*. Sed vulgatam auctore aenigmatum indignam esse, quis illi credet, cum sit intellectu facillima?

LXVIII, 3. *nisi si quod*] Recepit lectionem codicis Anglicani secundi, cuius vestigia in aliis quoque Codd. supersunt. Vulgata, quam Heumannus etiam retinuit: *nisi si quid.* *Nisi si* pro *si* satis frequens est apud Terentium et alios.

LXIX, 2. Retinui vulgatam, quam explicari posse ostendi. Plerique codices praeter Anglicanum tertium habent *iis pro vis*; hoc quam facile in illud mutari potuerit, cuius patere credo. Hemannus ex ingenio dedit: *Do linguae frenos auidae sine fine loquendi.* Sed cum dare *frenos linguae* vix dici posse ipse intelligeret, addidit coniecturam aliam: *Initio linguae frenos sine fine loquendi.*

LXX, 2. *venis*] Vulgati *riuis.* Recepit lectionem *venis* ex Anglicano tertio et editione Perioniana. Alii codices proferunt *nimis.* Heumannus correxit *terris.*

3. *Et trahor*] Sic dedit Heumannus ex Codd. duobus Anglicanis et editione Perioniana. Codex Anglicanus primus habet *et labor*, cum quo consentit Codex Castalionis, et uterque Lugdunensis, qui per errorem profert *est labor.* Sed cum sic iusta quantitas non constet, Castilio correxit *labor et*, quod reliqui editores seruauit. Fortasse auctor errauit in quantitate voci adsignanda. Quidquid sit, lectio ista *labor* non est inuenista; aqua enim postquam protracta est

est ex puto, labitur in canales, aquaria cet. et lusisse videtur auctor in repetitione vocis *labor*. Nolui tamen eam recipere, quia aut quantitatis neglectu, aut (si Castalionis correctionem admittas) licentiori traiectione laborat.

LXXII, 2. *quamuis et saepe recedat*] Heumannus corrigit: *quamuis mihi saepe recedit*. Non nego, *et* hic duriuscule intrudi, ut aenigmata proxime in sequenti v. 3. *& quoque*. *Recedit* est in tribus codicibus et recipi omnino posset; sed *mihi* audacius ingeritur, cum in codd. nullum eius supersit vestigium; an credis Heumanno *in saepe*, quod Codex Anglicanus tertius habet, ortum esse ex *mi saepe*, hoc autem ex *mihi saepe*?

3. Vulgata: *Nunc mihi magna meae est animae, nunc nulla facultas*. Sed lectio Heumanniana Codicum quorundam suffragio suffulta praefstat.

LXXIII, 1. *crudeli hospes*] Ita recte Heumannus pro vulgato *crudelior hospes* et lectione codicum omnium *crudelis hospes*.

3. *volucris quoque*] Vulgata *volucris tum*, contra codices. Cf. ad LXXII, 2.

LXXIV, 1. *tormenta profugi*] Sic ex plerisque Codicibus Heumannus pro *refugi*. *Profugere* pro effugere s. refugere habes apud Melam. III, 9. (caput agit de Aethiopia) et

Curtium X, 2, 20. Adde Anton. Cicer. lib. X.  
ad Atticum. ep. 8. p. 154. ibique Graeuium.

LXXIV, 3. *ab vndis*] Sic codices et Heumannii editio aenigmatum. Sed in editione operum Lactantii dedit *in vndis*, quod Bumannus, ut cetera, repetiit.

LXXVII, 3. *scandatur*] Correctio Heumannii pro vulgato: *comitentur*. Perioniana editio; *mittentur*. Fortasse: *nitantur*.

LXXX. Quidam Codices inscribunt *potus conditus*; quod praeferre gestit Heumannus, quia v. 3. *melior* dicatur, non *melius*. Sed vide ad inscriptionem Aenigm. I.

LXXXI, 2. *inuenio quidquid prius ipse reliqui*] Lectio plerorumque Codicum suffragio fulta. Heumannus correxit: *quod in isto vase reliqui*. Vulgata: *Nec tamen inueni, quidquid prius esse reliqui*. Et hic versus in vulgatis est tertius; sed Heumannus transpositione facta in secundum locum recepit, quod non possum non probare, quamvis Codices contra conspirent.

LXXXII, 1. *habens*] Plerique codices legunt *ousis*, quod tamquam monachi inepta sedulitate potius, quam auctore poeta dignum meritum reiicit Heumannus.

3. *dum bella cruenta peregi*] Lectio constans codicum, quam explicui, ut potui. Heumannus audacter, ut solet: *cui bella cruenta peregi*.

*egi.* Editio Perioniana: *Quae bella cruenta peregi,*  
quod ferri possit, si legatur per exclamationem.

LXXXVI. *Stritilis* inscripsit Bunemannus,  
et *strigilis* aut potius *strigelis* (sic enim, sine  
dubio per sphalma, excusum est) vncinis inclu-  
sum subiecit.

LXXXVII, 1. *quem nemo veretur*] Heu-  
mannus rescribit: *cui nemo ferendo.* Male, si  
quid video. *Quem nemo veretur* ferendum ad  
*τὸ innoxius* v. 1.

LXXXVIII, 1. *futuri*] Correctio Heuman-  
ni pro vulgato *futuro*, quod, quia explicare  
non potui, reliqui.

3. *nunc - nunc*] Sic Heumannus cum Co-  
dice Anglicano secundo et editione Perioniana.  
Vulgata *non - non*, quod et ipsum ferri possit,  
praesertim si *τὸ futuro* v. 1. reduci et apte ex-  
plicari queat.

LXXXIX, 2. *quos umquam nemo negauit*] Recepit lectionem Codicis Anglicani tertii, cum  
quo et alii quodammodo conspirant. Vulgata  
*quod numquam nemo negauit* offendit ob dupli-  
cem negationem non adfirmantem, sed negan-  
tem. Ferri tamen potest, quia duplex negatio  
negans non plane insolens est. Heumannus  
corrigit:

*Quod quamquam nemo negauit, Nunc mihi  
vix duo sunt.*

LXXXIV.

LXXXIV. Inscriptionem addidi nouam, cum in Heumannii editione deesset et illa, quam codices proferebant (*De VIII ut tollas VII, et VI remaneant*) plane esset absurdum.

1. *credes*] Recepi lectionem duorum codicium pro vulgato *credas*, quod Heumannus quoque retinuit.

LXXXV, 2. *nobis haec*] Constan<sup>t</sup>s lectio codicum, quam reiicere religioni mihi fuit. Vulgata *huius mihi*; Heumannus *talis mihi*. Vmbra de se im plurali loquitur, sed mox pergit in singulari; quod non infrequens est.

LXXXVIII, 3. *morti*] Reduxi lectionem omnium fere codicum, pro qua ex ingenio male substituit Heumannus *multis*.

C. *Olla* cum Anglicano primo recte inscripsit Heumannus pro vulgato *Lagena*.

3. *me diuifit*] Vulgata, vt vitetur spondaicus, *me ante diuifit*. Sed medicina morbo peior; sic enim corripienda esset *di* in *diuifit*; et quam incongrua *et ante*?

F I N I S.



VIX CXXI





Dieser Band wurde 2000  
durch Bestrahlung sterilisier.  
Verfärbungen stellen  
keine Gefahr dar.

Datum der Entleihung bitte hier  
\_\_\_\_\_

Lit. Inv A 2278

